



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

28 Maji. 5 Kal. Junii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

472 ANNI CÆLESTIS

S. Bruno Ep. Conradi, Carinthiæ Ducis, fili, templorum ædificatione magnifice; cui divinis operanti S. Ambrosius apparuit, ac monuit, ut Imperator ab Urbis Mediolanensis obsidione desisteret, alioquin graviora, quàm passus fuerat, perpeffurum.

OMNES SANCTI, &c.

pag. 320.

S. MARIA, *cujus imago in hodierni S. Joannis I Pont. Max. manibus, à Seraphinis est deposita; & eo die pestis Romæ cessavit. Mitte Angelos tuos, qui te in corde, ac manibus meis collocent; ut benè faciam, quicquid ago. Fuga à me occultam etiam pestem omnem!*

28 Maji. 5 Kal. Junii.

SANCTE Germane Episc. elemosynis, & miraculis magne; qui domum viri justii ingrediens, visus es facie radiis, velut cornibus, illustri, Moyfis instar, collucere: quem quia diutiùs ad portam suam præstolari passus est Clotarius Rex, in pœnam, febre correptus, ab illâ tamen pallii tui osculo sanatus est: qui orando morbos, urfôsque fustâsti, ac dæmones; ignem extinxisti;

risti; mortuos suscitasti; & mortis semper, maximè cum ad lectum ires, memor, lecto supremum diem tuum inscripsisti vates: *V Kal. Junias*; quo ipso die tibi morienti dies æternitatis est ortus. O sim èt ego ita mortis memor semper, ut & vigil, & dormiens, paratus sim semper! nec peto scire, quando moriar, nisi id velit Deus; sed ut sanctè moriar hoc peto, & tu id roges, ac impetres, rogo. Amen.

Sancti Æmili, Felix, Priame, & Luciane, Martyres.

S. Carane M. capite cæse; qui decisum caput tuis ipse manibus ad tumulum detulisti; in cujus pervigilio, aridus aliàs, fons in salubres agris aquas erumpit.

Sancta Helconides M. multis sapè tormentis cruciata, ab Angelo liberata, lacerato pectore, feris obiecta, in ignem projecta, capite truncata.

Sancti Crescens, Dioscorides, Paule, & Helladi, Martyres.

SS. Martyres monachi Palæstini.

S. Senator Episc. virtutibus, ac eruditione præclare.

Sancti Juste, & Podi, Episcopi.

OMNES SANCTI, &c.

pag. 320.

S. MARIA, *cujus imaginem semper secum gestabat contra hostes victor, Scriptor tuus, S. Germanus: dignare me laudare te, amare te, in corde gestare te, vincere in te!*

29 Maji. 2 Kal. Junii.

S. Anctæ Andrea de Chio, castissime, & planè MARIANE Martyr, quem febrientem sanavit MARIA: qui totâ novem dierum carnificinâ, pro Christo, flagellis, uncis vexatus, carne ad ossa usque exutus, nil in ore sæpiùs habuisti, quàm, MARIA, *juva me, juva me, MARIA Virgo!* nullo intercâ signo doloris edito. Postcâ integrè divinitus perforatus, gladio percussus es. Per hos ego te dolorum tuorum agones, & per tuam, ac meam, Deiparam Virginem rogo, adsis mihi inter dolores agonis mei, mortis meæ. MARIA Virgo, *juva me; juva me, MARIA Virgo!* Amen.

S. Conon, qui unâ cum filio, duodecim annorum puero, craticulæ suppositis prunis impositus, oleo bulliente perfusus, in accensâ fornace, velut in horto, unâ cum filio, inambulâsti; & cum eodem, subjectis flammis, in equuleo suspens-